



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 128. Germani ad subsidia belli adversus Turcas a Pontifice sollicitati

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

mus. Nihilominus Regina hæc con-
cordiæ tabulas ratas habere omnino re-
nuebat, & regno excedere maluit, eo-
quod Ducis ambitionem reprimere de-
creviffet.

Sæcul. XV.

A.C. 1459.

§. CXXVIII.

*Germani ad subsidia belli contra Tur-
cas a Papa sollicitati.*

Interim Papa, adhucdum Mantuæ hæ-
rens, indefesso studio Christianorum
Principum unionem urgebat, ut tandem
pia, quæ ceperat, consilia adversus Tur-
cas effectui darentur. Cum vero nec ex
Francia nec ex Anglia, quæ speraverat,
subsidia haurire posset, ad Germanos
animum adjecit, sed dissensione Impera-
toris inter & ceterorum Principum Le-
gatos suborta, apud eos non minorem
expertus est difficultatem, quam apud
reliquos, & magno rationum pondere ge-
neratim omnes alloquens, ægre impetra-
re potuit, ut numero parem promitte-
rent exercitum, quem pridem Franco-
fordiæ in Imperii comitiis polliciti essent.
Spondebant autem ibidem exercitum ex
duobus & triginta peditum, equitumque
decem millibus conflatum, ea tamen le-
ge, ut ad promovendum hocce negotium
duo præterea conventus celebrandi indi-
cerentur, alter Norimbergæ, alter vero

Rr 4

in

Sæcul. XV in aula Cæsarea, præterea petebant, ut
A.C. 1459. Legatus a Latere a Pontifice mitteretur,
 qui conventa ad exitum perducenda curaret. His annuens Pontifex, Bessarionem Cardinalem Legatum decrevit, supremum autem exercitus Christiani Ducem Fredericum Imperatorem constituit, data eidem potestate, ut alium, si id muneris per se obire non posset, Principem subrogare posset. Cum vero Mensis Decem-ber jamjam decurreret, ulteriori consultationi subsequens annus destinabatur. Interea vero summus Pontifex die trigesima prima Decembris Mantuæ dato diplomate Basileensem instituit Academiam, omni tempore Doctoribus eruditione præstantibus conspicuam, quos inter haud infimi erant Erasmus, Amerbachius, Buxtorfius, Bauhinus, pluresque alii.

§. CXXIX.

*Aliorum Principum & Legatorum
 adventus ad Conventum Man-
 tuanum.*

Singulis fere diebus alii Legati Mantuam confluebant. Advenit quoque Sigismundus Austriæ Dux, cui duo Cardinales obviam processerunt. Albertum vero Brandenburgensem Marchionem, cognomento *Germaniæ Achilem*, salutavit Car-

*Comment.
 Pii II lib. 3.
 Cromer.
 lib. 24.*